

Übungstext 5

Quod primum ferunt Leontinum fecisse Gorgiam, qui permagnum quiddam suscipere ac profiteri uidebatur, cum se ad omnia, de quibus quisque audire vellet, esse paratum denuntiaret. postea vero vulgo hoc facere coeperunt hodieque faciunt, ut nulla sit res neque tanta neque tam improuisa neque tam noua, de qua se non omnia, quae dici possunt, profiteantur esse dicturos. Quod si te, Cotta, arbitrarer aut te, Sulpici, de iis rebus audire uelle, adduxissem huc Graecum aliquem, qui nos istius modi disputationibus delectaret; quod ne nunc quidem difficile factu est. est enim apud M. Pisonem adulescentem iam huic studio deditum, summo hominem ingenio nostrique cupidissimum, Peripateticus Staseas, homo nobis sane familiaris et, ut inter homines peritos constare uideo, in illo suo genere omnium princeps. (de orat. 1,103f.)